



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hyperdvlia Mariana

**Berchmans, Johannes
Canisius, Jacobus**

München, 1636

[XXXI. Hyperdvliæ Species. Aliquam quotidie alijs historiam de B. Maria recensere.]

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

X X X I.

HYPERDVLIÆ SPECIES.

Aliquam quotidie alijs historiam
de B. MARIA recensere.

§. I.

PEXAMœna, perutilis, ac necessaria est
humanæ vitæ historia, utpote quæ
sit, auctore Tullio, testis temporum, lux
veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ,
nuncia vetustatis.

Cic. lib. 2. de Orat. ad Quint. fratrem.

Porro cum omnis historia sit eiusmodi,
maximè tamen est illa de sanctis.
Nam: Quemadmodum ex igne natura-
liter emicat splendor, ex unguento quo-
que præstanti diffunditur odor: sic è
sanctorum commemoratione gestorum ad
omnes puenit utilitas omnino magna:
inquit Magnus ille sanctusq; Basilius.

*S. Basil. Orat. in Gordianum marty-
rem Casareensem.*

Ergo cum talis historia de sanctis sit,

b 3

vt

vt & mirissimus inde splendor emicet,
& suauissimus odor expiret, & ingens
omnino quæstus redundet, quantus est
splendor, odor, quæstus historiæ, quæ ad
omnium sanctorum sanctarumq; SAN-
CTISSIMAM pertinet?

Probè norat id Berchmannus ideoq;
nullo non die de Virginum SANCTIS-
SIMA, historiam alijs aliquam enarra-
bat. Quotidie, inquit Ceparius in eius
vitâ, historiam de Beatissima Virgine af-
ferebat.

————— Ô res
Cōmemoranda nouis Annalibus, atq;
recenti Historia!

§. II.

Primum Hyperdulia premium.

Fuit, quòd non paucos, tot historiârũ
Marianarum splendore collustrarit, o-
dore recrearit, quæstu ditarit.

§. III.

Alterum Hyperdulia premium.

Fuit, quòd historias Marianas recent-

sens

sens ipse pulcherrimam de se scribendæ
materiam historiæ Historiographis reli-
querit.

§. I V:

Tertium Hyperdulia premium.

Fuit, quòd cum historia etiam ad imi-
tationem pertineat, multos dubio pro-
cul ad æmulanda suæ pietatis in Virgi-
num SANCTISSIMAM vestigia excita-
rit, hodièq; excitet, ac inflammet. Nam:
Sicut præliantes exurgunt buccinis, vt
equorum celeritas ad potiorem curium
ferrata calce prouocetur: ita dum maio-
rum virtus sollicitat, ingenia nouella
confortat, inquit Ennodius. Qui cana
exercitia, & veterum gesta relegit, ad di-
sciplinarum frugem propositis laudum
præmijs inardescit. Imago præcedentis
gloriæ, vt ad posteros veniat, linguarum
catena retinetur. Non licet per ætates
perire, si quid lectio serenis actibus ami-
ca susceperit. Itaque eloquentiæ diutur-
nitas, mortalis naturæ, sine congressio-
nis periculo, vincit angustiam, per quam

optimorum conuersatio, ipsis decidentibus, nescit occasum. Restituetur quidem corpus origini, & destinatus à superis spiritus ad proprium recurret auctorem. Quorum tamen probitas libris mandata fuerit, eorum vitalis est obitus.

Verè vitalis est etiam tuus, ô Berchmanne, obitus, quia quamuis in hemisphærio nostro tuum tantisper iubar occubuisse noctuis in luce caligantibus existimeretur, nobis tamen per historiam, nempe lucem veritatis semper illustrior exurgit, & exurget.

Non unquam occumbit, sicut post funera Virtus.

Euge, Berchmanne, viue; non potes in nostra mori memoria, cum vel huius historia facti prorsus inclyti, quo quotidie Marianas recensuisti historias, fit vita memoriæ, magistra vitæ.

*Omnia ad maiorem Dei, Deiq;
Matris Virginis gloriam.*